

Ariopagita, ex hac vita secessit. Inter haec etiam attendere oportet, quoniam uterque, Beda videlicet et ille ignotus martyrologii scriptor, non solum auctoribus aliis, sed etiam sibi met ipsis in assertionibus suis discordant. Nam de uno eodemque Dyonisio Ariopagita scribentes, alter quidem eum sub Marco Antonino Corinthiensem episcopum fuisse pronuntiat, alter vero longe ante ipsius Marci^a tempora sub Adriano passum esse enarrat. Ex quorum narrationis discordia aperte monstratur, neutrum in hac sententia credendum, sed potius hiis, qui nullatenus sibi discordantes Dyonisium Ariopagitam beato Clementi papa contemporalem ab eo ad Galliarum gentes transmissum fuisse describunt^b. Unde quia iuxta veritatis vocem¹ *in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*, haec quoque dicta nostra trium sanctorum patrum, id est Lucae, Eusebii et Gregorii, testimoniis sufficiant esse comprobata. Quod si quis forsitan ista reprehendens robustiora demonstraverit testimonia, eum^c libentissime auscultabimus et consentientes gratanter fidem accommodabimus. Interim vero, donec illa proferantur, liceat precamur absque afflictu nos credere atque fateri, quoniam illum primum Dyonisium, Atheniensem scilicet episcopum, quem a beato Clemente in Galliam missum esse attestamur, non immerito post translationem exinde factam pro patrono veneramus.

II.

1052, October 7. Regensburg.

Kaiser Heinrich III. bekundet, dass in seiner und vieler Fürsten Gegenwart Papst Leo IX. den Streit über die Reliquien des heil. Dionysius zu Gunsten des St. Emmeramsklosters zu Regensburg entschieden habe, nachdem er sich von der Existenz der Gebeine des Heiligen in jenem Kloster überzeugt hatte.

Heinricus Dei gracia Romanorum imperator et semper augustus regibus, archyepiscopis, episcopis, abbatibus, ducibus, marchyonibus, comitibus ac baronibus universisque Romanorum subiectis atque devotis imperio gratiam suam et omne bonum.

Quamvis sanctorum et amicorum Dei subsidia, ubicumque sollicitate requirantur, fidelibus nusquam desint, ibi tamen eisdem eadem specialius et creduntur pariter et sperantur ad-

a) Marcy c. b) describitur c. c) i c.

1) Deut. 19, 15.